MASTER NEGATIVE

NO. 93-81331-9

AUTHOR:

BREITER, C.T.

TITLE:

DE EMENDATIONE MANILII

PLACE:

HAMM

DATE:

1854

Master Negative #

93-81331-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Breiter, C T

...De emendatione Manilii, vom Gymnasiallehrer Breiter... Hamm, Grote, 1854.

24 p. 24½ cm.

At head of title: Zur öffentlichen prüfung der schüler im Königlichen Gymnasium zu Hamm... ladet ergebenst ein Dr. Hermann Liebaldt...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 4/27/93 INITIALS Emil

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Zur öffentlichen

Prüfung der Schüler

im

Königlichen Gymnasium zu Hamm,

Montag, den 28. August 1854,

ladet ergebenst ein

Dr. Hermann Liebaldt,
Direktor des Gymnasiums.

Inhalt.

Hamm.
Gedruckt bei Gustav Grote.
1854.

De emendatione Manilii.

Particula prior, quae est de codicibus.

Qui hoc saeculo unus, quod sciam, dedita opera in Manilio, quem uulgo ferunt, emendando et explicando elaborauit, *Fr. Jacobus*, cum plurima feliciter restituerit, haud ita tamen rem absoluit, ut in quae denuo inquirant, non habituri sint, si qui erunt huius poetae interpretes. Qui uelim benigno uultu excipiant mea quantulacumque Maniliana commenta: nam certa quidem nec potui, nec uolui: scilicet in eo poeta res agitur, in quo „si se non omnia celant, satis est."

§. 1. De archetypo.

Ante hos mille annos quum in regno Francico litterarum studia post diutinam obliuionem resuscitarentur, unum supererat in illis regionibus Manilii Astronomicon exemplar, ex quo omnes, quotquot innotuerunt, codices descripti sunt. Constitit id exemplar schedis mininum *C II.*; in quauis scheda quadrageni bini aut quaterni uersus litteris capitalibus, id quod non nullis indiciis confirmatur, fuerunt perscripti. Is liber cum longo situ corrosus ac laceratus esset, factum est, ut quaternionum compagibus solutis, dum apographa conficiebantur, haud paucae schedae a sedibus suis aberrarent. Ita in tertio quaternione scheda secunda et tertia locum mutauerunt (L. I. 355—99 et 400—442); idemque accidit in quarto (I. 529—66 et 567—611). Sed maiores turbae in L. III. et IV. inciderunt, ubi septem schedae libri quarti (10—312) in librum tertium (ante us. 400) immigrauerunt.

Ex hoc igitur codice, quem archetypon dicere solemus, asseruato in bibliotheca aut Remensi aut Carnutensi, unde per mutua commercia multos libros in Gemblacense monasterium allatos esse constat, nostri, quotquot adhuc accuratius collati sunt, ad unum omnes deriuati sunt libri. Atque eorum tres, Gemblacensis, Cusanus, Lipsiensis, scripti sunt

ante renascentium litterarum saecula, ceteri Vossianus uterque, Parisinus, Palatinus, Oxoniensis saeculo fere quinto decimo, quo tempore Astronomicon libri a uiris doctis lectitari et emendari coepti sunt. De Italicis libris, quos Jacobus in praefatione enumerat, certi quidem nihil constat, nullus tamen eorum ultra saeculum XV. ascendit.

De his quos dixi codicibus, nullum Vossiani secundi simplicitatem attingere, ceteros doctiores alios, alios rudiores interpolationes proferre, hunc, nisi quae omnibus libris antiquiores sint, habere nullas, uetustumque exemplar fidissime exprimere, Fr. Iacobus iudicauit. Qua in re cum doctissimo uiro cur mihi dissentiendum esse putem, sequentia ostendent.

§ 2. De antiqua codicum familia.

Quinque illos codices, quos primo loco enumeraui, cum ab uno eodemque fonte licet per diuersos apographorum decursus promanauerint, antiquam familiam nuncupo: cuius familiae quot et quae sint genera, per uaria uel similitudinis uel dissimilitudinis indicia iuxta apposita uideamus.

1) Inscriptus est Cod. Cusanus „*Arati Philosophi Astronomicon Liber primus Incipit. Prelibatio.*“ Eandem inscriptionem in fronte gerunt Lipsiensis, licet in rasura, eandem Vossianus primus. Gemblacensis liber quamnam olim habuerit sub rasura inscriptionem nescimus. Spatium quinque fere linearum inscriptioni relictum erat; hodie in rasura duabus lineis docemur librum D. Sherburno commodatum esse a. 1678; sequitur inscriptio *l' Mālius poeta* saeculo XV. indita; denique librum a Daniele Papebrochio restitutum esse a. 1693. Iam cum quattuor hi libri, id quod statim probabitur, simillimi sint inter se, haud improbabilis est suspicio, ne Gemblacensis quidem aliam olim fuisse inscriptionem. Quae cur erasa sit, alterique illi, quam attulimus, locum cesserit, haud obscurum mihi quidem uidetur. In codice C. in pagina uersa schedae Maniliana carmina praecedentis, quae pagina uacua relicta est, haec a manu recentissima notata sunt: „*Hic liber non potest antiqui arati esse qui fuit tempore Antigoni et Machabaeorum, ut patet hic ex septimo uersu quia auctor fuit tempore Augusti, sed fuit Marc... (Marcellus).*“ Haec quamuis idem scripserit, qui miscelli codicis indicem confecit, sunt tamen insubidiora, quam quae non, ex parte saltem, aliunde quaesiuisse, Marcelli nomen, Palingenii puto, de proprio penu addidisse uideatur. In Lipsiensi verba *A. ph. A.* rasurae inscripta testatur Jacobus (praef. ed. p. VII.), qui uelim docuisset, sitne hoc a prima manu an a correctoribus factum. Ut nunc res se habet, Lipsiensis liber tot correctiones passus est, ut neque utri antiquae familiae generi adscribendus, neque an ulla eius habenda sit auctoritas, pro explorato haberi possit. Voss. 1. eandem inscriptionem a. m. pr.; exhibet tamen a manu sec. *Marci Manilii* et in margine *ad Caesarem Aug.* — Ab his Voss. 2. eo recedit quod inscribitur *Marci Mallii equom Astronomicon diuo oct. quirino aug'*; addit Lib. III. *Marcii Mallii Boeni astronom.* Similem inscriptionem Italici libri exhibent, quorum unus pro *Boeni* substituit *Boeci.* — Ut igitur redeam ad illud, quod modo dixi, rem ita se habere existimo: Codd. C. L. V. 1. et puto G. a. m. pr. Aratum exhibent auctorem, Voss. 2. et Italici uel Mallium uel Manlium uel Manilium. Qui quod addunt: ad Caes. Aug., id coniectura assecuti sunt ex L. I. us. 7., quod auctorem uel Manlium uel Mallium uel Manilium exhibent, id item coniectura natum puto, cum scilicet Arato aliud substituendum esset nomen: qua in re aut Manlii mathematici, aut Mallii (Theodori) nomina ultro occurrebant. Cui quod addiderunt Boemi (Boeni, Poeni, Boeci), meminerunt, ni fallor, Boethii; quod nomen uariis modis deprauatum esse scimus. Hinc facile intelligitur, quae nostra sit de archetypi inscriptione opinio.

2) Post L. I. 186 (ed Jac.) „*Idem Phoebus eat*“ inserunt V. 1. 2. uersus 690—92; C. uss. 692--94 (qui bis hos uersus habet et post 186 et post 691): suo loco exhibent G. et L. a. pr. m., nam a correctore iidem ad us. 611. in margine adscripti, post erasi sunt.

3) I. 226. suo loco habet unus G., „*transponit uersuum 226, 27, 28, ordinem L. adpictis literis d. c. b., eumque referunt V. 1. 2. C.*“ (Jacob.)

4) I. 377. G. *sub quis inuia nobis.*

5) I. 808. G. omittit *notandum est.*

6) I. 833. deest in G.

7) II. 902. uersus dimidiatus in uno V 2. „*per tanta pericula mortis.*“

8) III. post. 6. in uno V. 2. sequitur: „*Non coniuratos reges Troiaque cadente,*“ ceteri exhibent eum uersum post 37. ita: *non ad curatos reges Troiaque cadentes.*

9) III. 188. „*a sole ad lunam numerabis ordine partes*“ in uno est. V. 2.

10) III. 200. „*fulgens*“ exhibet unus V. 2.

11) III. 399. seqq. in quattuor post L. IV. 10—312, in uno V. 2. suo loco ueniunt. Certatim notatus est error a ceteris; bis in G. (a manu saec. XV. et saec. XVI.), item in Lips. Cod. C. quae ad marginem habet a. m. pr., ut uidetur, apponam: „*hic male est ordinata locutio, sed siuis eius ordinem rectum repperire memento eam per ordinem alfabeti quaerere quo eam denotauimus, post hunc enim uersum „Vicino tribuat p. c. t. l.“ debet quem inueneris post sex folia B littera denotatum. inde licet (uidelicet) istum at q. nocturnis f. m. t.*“ Cum B littera nusquam appareat, uersus autem „*At. q. nocturnis*“ iam post quattuor columnas, (binae enim, septuagenorum unaquaeque uersuum in quauis pagina perscriptae sunt), sequatur, apparet librarium ea uerba in margine eius quem describeret libri inuenisse.

12) IV. 312. omittunt C. V. 1. B

13) IV. 731. 32. exhibet unus V. 2.

14) IV. 746. omittunt C. V. 1.


15) IV. 776. V. 2. ita habet: *„Qua genitus Caesarque meus nunc condidit urbem;“* G. et C.: *„Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem.“* De L. et V. 1. apud Jac. nihil inuenio.

16) IV. 12. unus V. 2 habet: *„magni pars maxima coeli et ratis heroum.“*

Haec fere sunt in quibus inter se dissentiunt libri. In aliis plane conspirant, ut in his:

1. post. 356. sequuntur uss. 400—442 in omnibus. Errorem Cod. C. in margine ita notat, ut manus sec. adscripserit = *In poenas signata suas.*
2. post. L. I. 529. sequuntur 566—611 in omnibus.
3. Lib. II. 952. omnes versum dimidiatum exhibent *„et finem retinet uitae.“*

His igitur indiciis adducor, ut duo antiquae familiae genera statuam, priori Gembl. et Lips., alteri Cus. et Voss. 1. adscribam. Voss. 2. eidem generi tribuo quidem, sed diuerso apographorum interiectu promanauisse puto. Quod stemmate delineato melius intelligetur:



§. 3. De codicum Gemblacensis et Vossiani 2. fide.

Reliquos libros missos faciamus, cum Manilii emendationem Gemblacensi et Vossiano 2. unice niti certissimum sit. Quorum uter esset altero praestantior habendus, cum olim a nemine disceptaretur, Fr. Jacobus nuper a communi omnium opinione maluit recedere. Quod multi tacitis puto sententiis improbauerunt; neque enim ipse G. codicem inspexerat, neque accuratam eius notitiam ex Scaligeri et Bentleii commentariis peti posse, cum ipse eum librum Bruxellis perlustrarem, mihi persuasi.

a) De codice Gemblacensi.

Carmina Manilii in codice membran. formae VIII. IC schedis perscripta sunt. De ea, quae nunc quidem in fronte posita est, inscriptione iam supra dixi: quae erasa est, fuit ut capitula litteris capitalibus minio scripta, quarum uestigia licet tenuia etiamnunc comparent. Eodem modo inscripta est Periegesis Prisciani, comprehensa eodem uolumine ac fortasse ab eodem librario exarata. Gemblacensis monasterii librum olim fuisse testantur duae subscriptiones: altera, quae est sub Manilianis, saec. XV.; a prima manu altera sub Prisciano (*„liber sancti petri Gemblacensis“*). Prisciani codice, id quod in transcursu moneo, usus est Papius (cf. Wernsd. Poett. min. V. V. P. I. pag. 231. *„mscr. quod Ludovicus Carrio apud se habebat e monasterio Gemblacensi“*).

Codex scriptus esse perhibetur saeculo XI. (non tamen exeunte, sed puto ineunte): siglae rarae et fere eaedem quas Mullerus in Anall. Bernens. particula III. tab. III. exhibuit. Ab initio in quauis pagina uiceni singuli uersus scripti sunt, a scheda undequinquagesima (III. 96). uersus uiceni bini; in scheda sexagesima altera prior manus recurrit, ita ut duo librarii se excepisse uideantur. Inde discrepantiae quaedam scribendi: inuenitur a scheda 65. idcirco, a scheda 95. litora; (antea enim fuit iccirco, littora).

Praeter manum primam, quae etiam capitula litteris capitalibus scripsit, dignoscuntur: a) *manus secunda,* quae correctiones haud ita frequentes superscripsit. Quae quidem a priore aut non diuersa, id quod mihi quidem uisum est, aut eiusdem certe est aetatis. b) *manus rec.* saeculi XV., quae et titulum rasurae inscripsit, et singula capitula, quae iam in contextu erant, litteris minoribus minio, plerumque in sequentis paginae fronte, notauit, et subscriptionem libri primi, ubi spatium duarum linearum relictum erat, addidit. Reliquorum librorum subscriptiones sunt a prima manu. c) Tertio loco pono manum recentem XVI. uel XV. exeuntis saeculi, quae lacunas codicis expleuit: Lib. II. 952. *„mortig. locatur;“* L. I. 377. in margine adscripsit: *„sub aquis iacet;“* I. 808. addidit *„notandum est;“* IV. 414. *„iam sucus obit;“* eadem perturbatum uersuum ordinem notauit, ita ut doctam neque criticae artis imperitum aetatis istius philologum prodat. Siquidem eae lectiones in primas editiones immigrauerunt. Bis praeter has paullo antiquior manus occurrit, quae (L. V. 287.) adscripsit: *„Hi quinque uersus infra reiiciendi.“*

Qui eo codice praeter Bentleium et Scaligerum usi esse perhibentur in inscriptione, Sherburne et Papebrochius, quem inde fructum perceperint nescio. Reliqui uero qui ad Manilium emendandum accesserunt, properantibus oculis inspexerunt potius quam perlustraverunt, ad unum tamen omnes summis laudibus extulerunt. Recte de eo is iudicabit, qui solida Manilianae criseos fundamenta iecerit; id quod nec mearum est uirium, nec permittit obscura poetae memoria, in quo adhuc grauissima fere ignorantur. Nostra igitur in singulis subsistet disputatio, suadente ipso poeta: *„singulaque in summa prodest didicisse priora.“*

Affero primum eos uersus, e quibus Jacobus *„fallacem codicis naturam“* sibi uisus est perspexisse.

I. 332. Scaliger (sequor edit. Boecleri Argentor. 1655): *„Diuidit et toto mergentem corpore corpus. In Gemblacensi hoc uersu inducto alius superscriptus erat: atque etiam toto ingens corpore corpus.“* Rasura nulla est. Habet G. haec: *„diuidit. itq.* (uel atque) *et iam toto ingens corpere corpus explicet.“* [tat] Quam lectionem dubito interpolatamne dicam an ueri seruantem uestigia. Eundi uox gradienti in astrothesia ophiucho sane conuenit.

ib. 344. *„Assueto uolitans gestet ceu fulmina mundo.“* Addit Jacob.: *„mundi omnes. corr. Bentl. Aliter Gembl.: cui — ingeniose“*

Hoc quod scribendi uitium dixeris si quod est uitium, inter certissima interpolationis signa refert (praef. p. VII.)

ib. 397. seqq. *Subsequitur rapido contenta Canicula cursu,*
qua nullum terris uiolentius aduenit astrum,
nec grauius cedit: uecors dum frigore surgit
[400.] *ac uacuum solis fulgentem deserit orbem.*
[399.] *Sic in utrumque mouet mundum et contraria reddit.*

Ita uersus uarie tentatos exhibuit Jacobus. Cui de transponendis uersibus 399. et 400. assentior. Codd. haec habent: us. 399. *nec horrida G. L. nec horridu C. nec hordum* V. 1. 2. *saeuit* unus G. (*„aperte interpolatus“*) — us. 400. omnes *haec* pro *ac.* — Ut uulgo constituuntur, inepta tautologia laborant, quare Bentleii obelo notati sunt. Facile intelligitur unde *nec* in uersum 399. intrusum sit, quo illato *surgit* ultro subsequebatur. Equidem ita scriptos olim fuisse suspicor:

— — — *nunc horrida frigore saeuit,*
nunc uacuum solis fugientem deterit orbem.

Ita reuera reddit contraria: uacuus orbis eo est, quod soles fugit, cf. Libr. III. 641: *„Tunc fugit omnis ager;“* ita enim codd. omnes, (V. 2. *figit*). Canicula quae efficiat, uide Libr. V. 208. seqq.

ib. 474. *„et quo clara magis possis cognoscere signa“* — *quo* unus G. *„ex coniectura,“* quam tamen Jacobus recepit. Vide Lachm. Lucr. II. 471.

ib. 629. *„nec cadere in terram pendentia sidera coelo.“ terram* G. C. L.; *eadem in terra* V. 1. 2. Jacob. *„unde concludo,“* inquit *„casum quartum ab interpolatore uenisse.“* Uulgatam tuebitur, puto, Lib. III. us. 50. *„undique pendentem in medium.“*

ib. 685. *„et paullum ab boreae gyro sua fila reducit.“ „Ad omnes; gyros unus G. interpolatus.“*

ib. 755. *An maior densa stellarum turba corona*
conuexit flammas, et crasso lumine candet,
et fulgore nitet collato clarior orbis.

Ita G.; etenim quod Jacobus refert extare in codice *contexit*, additque *„densat omnes“* in eo fallitur. Ne litterulam quidem mutandam censeo; Lucretius in alia sed simili re iisdem uerbis utitur:

et quaecumque magis condenso conciliatu
exiguis interuallis conuecta resultant (II. 100).

Lib. II. 9. — — *cuiusque ex ore profusas*
omnis posteritas lances in carmina dixit.

Reliqui: *profusos — duxit.* Lances cum corruptum uideatur, Jacobus addit: *„profusas G. ut indolem uideas.“*

Nondum de hoc loco certi quidquam statuere audeo, qui nesciam, quid sibi sumpserit, quid reliquerit audendum Manilius. Huc refero, quod non semel Graeca ita convertit, ut verbo verbum reddat. Ita dixit [Lib. IV. us. 635.] *„Aegypti Cypros pulsatur fluctibus omnis“* imitatus Euripidea: *Πάφον ϑ', ἂν ἑκατόστομοι βαρβάρου ποταμοῦ ῥοαὶ καρπίζουσιν ἄνομβροι* (Bacch. 404. Dind.): quod quo iure fecerit, uideant interpretes, qui aut *Πάφον* corruptum iudicarunt, aut *ποταμὸν βάρβαρον* de Oceano interpretati sunt. Porro: *„te, Meleagre, colunt flammis habitantibus ustum“* (V. 176.), ubi Voss. 2. *habentibus* uulgato errore; exprimere uoluit *τὴν οἰκείαν φλόγα*; ibid. us. 476: *„doctor in urbe sua linguae sub flore Menander, cui* (codd. *qui*) *uita ostendit uitam, chartisque sacrauit,“* ubi uid. Scalig.; *„uicina ripis“* Illyris (IV. 690.) dicitur, quae graecis *παρακτία* est; uti Priscianus Perieg. 803. et 818. *„uicina profundo“ τὴν παραλίαν* siue *τὴν Ἀγχιάλειαν* satis inscite conuertit. Omitto alia, quae aut leuiora sunt, aut aliis quoque recepta, ut quod est Lib. II. 860. *„uincit enim natura: genus legesque ministrat;“* i. e. natura loci *κρείττων ἐστίν*; qua ratione Jacobi correctione non opus est. Sed illud plane mirum est, quod uocem *uictus*, eo sensu, quo graeci utuntur *ἥττων*, secundo casui iunxisse uidetur. Codices certe omnes uersum 534. Lib. II. ita exhibent: *usque adeo est hominis uictus.* Quod si possit probari, uide an non idem reponendum sit in uersu:

741. Lib. V.: *Sunt stellae procerum similes, sunt proxima primis*
Sidera, suntque gradus ac lumina uicta priorum.

[G. et C. gradus atque omnia uicta porem.] [i]

Talia reputanti uideri possit poeta meminisse *τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων*. Quae si cui delicatiorum aurium homini a poetica elegantia mirum quantum abhorrere uideantur, is videat ne idem de *laticibus* statuendum sit.

ibid. us. 19. „*Hic versiculus interpolatus est in Gemblacensi: quique etiam iuris cultus legesque notarit.*“ Ita Scal., quem sequitur Jac. Gemblacensis habet: *quique* [t quin] — *notarit* [t rogarit]. *).

ibid. us. 108. *Descendit deus atque habitat, seque ipse requirit.* —

„*Ita G. et L.; ex interpolatione, nisi fallor. ipsumque (V. 1. 2. C.) plane Manilianum est.*“ Neque tamen ita est Manilianum, ut aut altera structura non occurrat, aut, ubi occurit, expungenda sit. Accedit quod Manilius, cuius uersus elegantes non dixerim, exactos ad certam legem affirmo, in carminibus tales, quales plurimas ei obtrusit Jacobus, licentias sibi non permisit. Unum quod sciam syllabae in consonam, quae est *t*, terminatae ictuque productae exemplum, quod quidem ab omnibus libris munitum sit, in Manilio extat: [IV. 280.] „*peruenit in astra — et pontum coelo uincit. Et nouerit orbem;*“ quamquam de hoc quoque dubitatum est; neque ego quidquam noui, quo possit defendi, praeter Lachmanni obseruationem, quae est in Indice lect. Berol. 1848 p. 5. Nam Lib. II. 372. „*inclinat acne*“ Jacobus coniecit; ibid. [495.] „*uertitur in semet oculis*“ (L. C. V. 1. 2.), recepit idem; habet tamen G.: *in semet uertunt oculusque* (appicto mendae signo). Syllabae *r* consona terminatae, ictuque productae incertum exemplum hoc est „*inter imumque sub orbem*“ (I, 292.); consona *s* duo a codd. munita: Lib. I. 7. „*das animum uiresque facis ad tanta canenda,*“ in quo Lachm. (Lucret. 17, 385.) „*excis*“ emendauit; et ibid. 876. „*nunquam futilibus excanduit ignibus aether;*“ in quo restituendum puto: „*futilibus non unquam excanduit ignibus aether.*“ — Nam qui est Lib. III. us. 188. „*a sole ad lunam numerabis ordine partes,*“ is uersus in uno V. 2. extat, et Lib. V. 358. cum Codd. quattuor (G. C. L. V. 1) exhibeant „*pascere aues gaudent Ueneris et reddere caecos,*“ V. 2. rectum ordinem seruauit. —

ib. 384. „*et cognata iacent.*“ — „*manent G. ex interpolatione.*“ Fallitur Jacobus, nam in G. est, „iacent.“

ib. 863. „*saeclis* (pro *sedis*) *ex interpolatione G.*“ Nos hoc tantum inde didicimus, quibus litteris apographon scriptum fuerit.

III. in. *In noua surgentem, maioraque uiribus ausum*
nec per inaccessos metuentem inuadere saltus
ducite Pierides. Uestros extendere fines
conor, et dignos in carmina ducere cantus.

Ita uersus exhibuit Jacobus, cuius uerba appono: u. 2. *inuadere* omnes. Et uterentur alii verbo simplici. (exhibet scilicet unus G.) — u. 4. *et dignos* omnes. *inriguos* G., puto

*) Correctio est eius manus, quam secundam supra diximus.

ut hiatum eximeret. — *in carmine* L. C. *in carmen* V. 1. Carmina sunt poesis, quae in dignos cantus uocatur. Non minus audacter Homeri *latices in carmina* ducuntur.“ Uirorum doctorum coniecturas omitto. Illud satis miratus sum, in G. non esse *inriguos*, sed, quod iam Scaliger ibi inuenit, *indignos*. Quid igitur? Poetasne cantus suos indignos uocasse putemus, qui ut patres filios, ita carmina sua adamare dicuntur? Lucretius certe non ita humiliter de suis sentit. Sed ut serio loquamur, ille uti alte insurgit, ita Noster saepe per humum quasi repit. Qui cum maiora uiribus ausum se fateatur, uide, ne hoc uerissime de se praedicauerit. Ac reuera poetam, cui non speciosa ista, quibus dulcia et ornata carmina conueniant, argumenta sint tractanda, par est non ita magnifice de se sentire. Audiamus ipsum, ubi se accingit ad noxas siderearum partium uersibus sexaginta decantandas. Lectoris taedium hoc modo deprecatur: (Lib. IV. 431.)

Sed quis tot numeros totiens sub lege referre,
tot partis iterare queat, tot discere summas
per partis causas? Faciem mutare loquendi
incipimus (codd. incidimus), *si uerba piget? Sed gratia deerit;*
in uanumque labor cedit, quem despicit auris. *)

Locum uexatissimum, secuti Gembl. cod., mutataque interpunctione persanasse nobis uidemur. Jam in eo est, ut relictis dulcibus Musis ad pedestrem sermonem refugere uelit poeta. Sed reciperato animo pergit:

nec fas est uerbis suspendere mundum.
Rebus erit maior. nec parua est gratia nostri
oris, si tantum poterit signare canenda —

hoc est referre argumentum terminis quasi technicis, sine omni poetico ornatu (cf. Lib. III., us. 39. seqq.) Deinde ut poeta hoc loco se laudauerit, quae tamen haec est laus, quis unquam de se poeta praedicauit: ego uiribus maiora ausus poesin in dignos cantus vocabo. Quanam re dignos? digni scilicet, qui canantur, sed non ab eo, qui uiribus maiora susceperit. Nihil sani in his video. — Denique uersus numeri plane euertuntur. Talia carmina neque fecit Manilius, neque facere potuit, nisi uelimus eum ad ultima Romanarum litterarum saecula detrudere. Mitto hiatum. Diaresin post primum spondeum qui quidem una uoce continetur, poeta raro admittit, eamque certis legibus, ut aut choriambus se-

*) Varie hunc locum interpretes tentarunt. Scaliger in contextu, quem dicunt, codicum lectione seruata, in commentariis coniecit: incidi si verba piget, i. e. noua incude recudi. Bentlei: proque artis causis faciem mutare loquendi? Incipimus si verba, piget; quod gratia deerit. Kannegieter (nam is est, quem Stoeberus affert, nomine celato): dici eadem. Iacobus denique: tot dicere summas, perque artis causas faciem mutare loquendi? Incipimus? sed uerba piget. — Mss. uariant: 433. patris V. 2. L. (a corr. partis). paruas V. 1. 2. C. sit L. Discere [G. C.] reliqui, quia omnes hos uersus de lectore intelligo cuius taedium amouendum est. —

quatur, aut prima uox sit composita, aut pronomen uel praepositio quae metathesin aspernantur. Inde quosdam uersus eicio, qui quidem omnes a sententia, nec solum a metris laborant. Libri I. uss. 385, 86. spurios censeo, qui ex eodem fonte repetiti sunt, unde prosiliit Libri III. us. 776.; item uersum 444. *„axem quae mundi stridentem pondere torquent;* axis non torquetur, *„quia motum non habet ullum"* (I., 282); *„nec uerti potest in ipsum"* (I. 290.), nec mundi pondere stridet, quia *„nec graue pondus habet, quod onus ferat aetheris alti."* (I. 286.) Uss. I., 453 et 666. Bentl. eiecit. In libro II. us. 113. ualde est suspectus (uid. Jac.); uersum 486. *„audit se, Libramque uidet"* — ob aliam causam tolero. Uersum 567. uarie tentatum ita scribo: *Piscibus exortu uicinus aquarius urguet.* Restat unus us. 628. — In tertio libro si persanaueris facili transpositione us. 41. *(oris, si poterit tantum signare canenda)*, restabit, qui regulae se subtrahere uideatur, unus (664). *„mandant et sulcis Cererem,"* in quo tamen traiectum *et* encliticae uice fungitur. — In quarto libro restant uss. 442. et 448., nam us. 549. lectio uariat. — In quinto us. 236. *„Crater auratis surgit caelatus ab astris"* — codd. omnes habent *ceteraque;* corr. Scaliger abiecta copula. Rectius fortasse scripseris: *Cratera auratis surgens caelatur ab astris.* Uersum 250. spurium puto. Restat unus u. 482.: *Ibit personas, et turbam reddet in uno.* Uides paucos admodum uersus relictos, qui regulam subterfugiunt. Quam quidem licet exactam non dixerim: scio tamen suas sibi in carminibus pangendis leges Manilium statuisse, in quibus cum optimo quoque poeta consentiat. Haec ut tibi persuadeam, paucis morabor. Terminationem uersuum quae fit monosyllabo, non admittit, nisi ea conditione, ut uox ista sit aut pronomen *se* aut copula *est*, quam cum praecedente uoce collisit, quod cum plurimis indiciis cognosci possit, exemplis a Lachmanno (Lucr. pag. 200.) allatis certissimis *parist. Jouist* (Lib. II. 427; 491.) quinque non aeque certa addo: *tantundem proximus illist* (I. 593.); *perpetuast neque enim sedes — retinetque* (III. 105.); *uictus in Andromedest* (V. 572.); *illa putris turbast.* (V. 673.; codd. *turbat*); *Quantula praeda maris quanti's* (V. 592; de quo ut dubitem, facit Lachmanni praeceptum Lucr. p. 67.) Terminationem, quae fit per ionicum a minori nisi praecedente monosyllabo non admittit (uide Jacob. indic. s. u. metrica; qui consulto praetermisit Lib. II. u. 762: *quae nisi constiterint primis fundata elementis);* uocem quae iambo continetur non elisit nisi bis cum colliquescente *est*, (uid. Lachm. Lucr. l. l.); caesuram nusquam neglexit; nam us. I. 194. Lachm. emendauit Lucr. VI. 1067; eum autem qui est L. III. 604. *„tertia forma est, et summo iam proxima coelo,"* ita puto refingendum: *tertia forma uenit, summo i. p. c.* — cf. uers. 607; *uenit* pro *est*, frequens in Manilianis, quare codicum lectionem retineo Lib. IV. 830., ubi munitam ab omnibus libris uocem editores expulerunt:

Subducitque solum pedibus; natat orbis in ipso,
et uenit oceanus, pontum sitiensque resoluit,
nec sese ipse capit.

Orbis, i. e. terra, in mare mutatus et inundatus pontum quasi minuit (cf. 3. 639.), nec tamen sitim explet. *Capiendi* uoce de nimia cupiditate idem utitur us. 540. *„tanta fames animumque cibi tam dira cupido corripit ut capiat semet nec compleat unquam,"* — ubi negatio ad utramque uocem subaudienda est. — In his igitur satis sibi constat, negligens ceterum in uocum mensura, utpote qui dixerit *migrarent*, *fibras* correpta (I. 92.; II. 78.); *Propontis* producta priore (IV. 679.); *contra* et *triginta*, si libris credendum est nostris, ultima correpta. Quos tamen Jacobus protulit: *„in cancro genitos capricorni femina laedunt* (II. 547.)," (unus scilicet G. habebat *semina* quod uerum dudumque est receptum), et *„quae cum ter centum et quater uicenaque constent* (III, 419.), his iniuria Manilio facta est. Sed quae ultimo loco attuli, ea aut emendent aut excusent, qui Manilium sub Augusto floruisse sibi persuaserunt, quod mihi quidem dissuadet uel unus uersus qui est Libri II. 734.: *„reliquis tribuantur ut ordine signis."* Sed ne longius uager, quamquam haec omnia pro eo qui nunc est, poetae habitu satis incerta sunt: nego Jacobum recte egisse, cum uersum talem: *„conor, et dignos"* cett. tanquam Manilianum exhiberet. — Iam illud quaeritur, ferrine possit G. lectio. Addo eum (et C. L.) exhibere *in carmine.* Quod si rectum putamus, iungetur *ducere cantus*, ut alibi modi, soni, carmina ducuntur; quos cantus indignos dicit in carmine, siue poesi, quae proprium ornatum et decus afferat argumento haud sane exili, quale ipse tractet, sed suapte natura specioso. Repetit eandem sententiam us. 26. *„Facile est, uentis dare uela secundis, auroque atque ebori decus addere, cum rudis ipsa materies niteat."* Quamquam ne sic quidem locum persanatum existimo; neque Parisini cod. lectionem *indictos* probo, neque, quae facillima uidetur coniectura, *indigenas.* Nusquam enim Graecos se auctores sequi professus est Noster, neque ita puto esset professus. *Inriguos* autem cantus iam Bentleius spreuit.

ib. 659. Jacob. haec apponit: *„partitur (paritur V. 2.) foedera ducem* V. 2. C. L.) Suspicor aliud aliquid latere, quam quod uulgata et G. inde effinxit." Nempe cum Scaliger ad hunc locum haec addidisset; *„pari cum foedere ducit.* G. *ducens* recte. Ita ergo continua cett." odoratus est interpolationem. Sed G. appicto mendae signo: *partitur foedera ducens.*

Lib. IV. 282. ubi recepit G. codicis lectionem addit idem: „Sed liberius refictum puto." G. habet: *iamque huc atque illuc aligem* (non *aliquem*); inde *caliginem* in reliquis effictam esse patet.

In fraudem tamen induci se passus est M. Schmidt; qui (Muetz. Ann. 1854. 1. 94.) *„abiegnum uertere clauum"* coniecit. Aliam certe mutandi causam mente non assequor. Idem scribendi uitium recurrit L. V. *u. 62.*; casuique item tribuimus, quod in loco simillimo librarius non errauit: *„cum suspensus eat Phoebus cursumque reflectat huc illuc, agiles et seruet in aethere metas."*

Lib. V. 377. *Phasidos et lucis.* Codd. *ducis.* *„dulcis* interpolatus G." Habet *dulcis* sed stigmate apposito, ut sit *dilcis.*

Haec fere sunt, quibus inductus est Jacobus, ut Gemblacensem codicem interpolatum esse sibi persuaderet. Quarum interpolationum aliae scribendi uitia, qualia in his libris occurrere solent, aliae sunt libris omnibus communes, aliae denique non interpolationes sed uerae lectionis sunt uestigia, quibus aliunde sisti debet sua fides.

Neque in hoc se continuit. Qui cum in editione lectionis, quam dicunt, uarietatem selectam exhiberet, Gemblacensem uero codicem non potuisset inspicere, consentaneum esse dixeris, ut ubi „*omnes*“ codices in lectione conspirare referret, intelligerentur, ubi tacerent de Gemblacensi Scaliger et Bentleius, non nisi C. L. V. 1. 2.; plane omnes, ubi illi G. lectionem commemorassent. Sed in eo sibi non constat, id quod paucis exemplis ostendam. — Lib. II. 139. ipse ita exhibet: „*sed solus uacuo ueluti uectatus in orbe liber agam currus non occursantibus ullis*“ additque: „*libera tam V. 1. 2. C. L. (in hoc superscr. uel umbrato curru quod habet G.), nolo cursantibus* V. 1. 2. C. corr. B.“ In hoc affert G. tanquam interpolatum: is enim (cum L. puto) ita habet: „*umbrato curru non occursantibus ullis*“ ultima unice recte. Cod. C. non habet *libera tam* sed *ubra tam*. Non dubium est, quin fuerit in archetypo: *Librato curru*. Contra ad uersum 169. haec adscribit: „*Ambiguusque* omnes. *quae sint* V. 1. 2. *quissunt* L.“ Scaliger uti par erat, simpliciter: „*Lege ex G. cett.;*“ in quo uersus plane ita extat, ut exhibetur a Jacobo. Lib. II. 479. „*possint* omnes; corr. B.“ Sed G. aperte *possent*.

Itaque ut libri fides melius perspici possit, afferam eos uersus, quos emendatos petiuerunt ex eo Scaliger et Bentleius, simulque addam nonnulla quae eos effugerunt, aut ab iis spreta sunt. Habet igitur haec:

Lib. I. 222. deficis — confundis. — 340. plumea. — 372. in borean. — 434. tortis. — 646. utranque. — 650. terrae. — 661. teget et refert. — 734. infusumque. — 739. parente. — 826. fulgentque cometae.

Lib. II. 55. gustarint. — 186. aestatis. — 211. rabidi. — 304. nati. — 329. computet — 382. sex (se' ut saepe e' pro ex). — 441. regis. — 518. ducantur — captentur. — 583. leuis. (t lis) — 635. saepe est et („*Bentleius corr.*,“ fonte G. non indicato, ut passim alias). — 648. secat. — 654. quodque. —

Lib. III. 244. horis. (Reliqui *oris* procliui errore, quo tamen eadem uox nobis erepta est in us. 236. ita scribendo: „*quis possit credere in horas omnia signa pari mundi sub lege manere*“). — 256. Is. — 327. ab omni. — 329. degrediere. — 386. et quibus ex causis. — 423. exuperat — id ducito (etiam us. 420. scribendum: *detrahitor*). — 488. summis. — 589. turbabitur. — 602. duplicat tris. — 611. praecedit. — 677. mutet — mouens. —

Lib. IV. 23. aut. — 114. meritis tanto fit gloria maior, quo. — 140. dotabit. — 148. fascesque per arua. — 174. aequo quoque. — 189. at quibus. — 221. multo. — 245. munera.

299. nomen. — 318. trigone. — 398. gemmae. (C.) — 461. ter quinae. — 508. soluetque. — 517. tergore uexit. — 515. findens. — 646. borean (etiam C.) — 656. gemmantia (C.) — 661. Libian. — 765. tumque. — 906. erectus capitis. —

Lib. V. 393. accipient sinibusque suis, peploque fluentis (puto *peplique* f.) 426. remus. — 570. isque. — 616. puella. — 663. nectent. (Bentl. nectunt).

Quibus, si tanti esset, haud pauca addere potuissem: sed ea inprimis elegi, in quibus Jacobus omnes libros in praua lectione consentire, editores correxisse rettulit. Alia Scaliger et Bentleius spreuerunt, quorum quaedam depromam:

Lib. I. 358. In ueterem Perseus caelo quoque feruet (t seruet) amorem exilioque iuuet. — 532. in coelum uarias laqueantia formas. — 657. sed quaecumque uagae tulerint uestigia plantae (cf. I. 360; V. 100.) — 865. posuit generarae cometas (puto: „*ratio praebentis semina terrae in uolucres ignes posuit generata cometas*, collato Justin. 4. 1. „*nec non et ignibus generandis nutriendisque soli ipsius naturalis materia*). —

Lib. IV. 2. Torquemurque metu. Suberat torquentique; littera una erasa ante q; n iunctum cum t et sigla ur imposita. — 28. in capitolinos *anxissent* flumina montes. Fuit olim *sanxissent*, n lineola appicta in u transiit non semel in codice. Inde ceteri *auxissent*. *Fulmen* et *flumen* confunduntur Lib. V. 217. (puto: *ceu sunt* uel *sint in fulmine cuncta.*)

Lib. V. 74. spumiferis. — 104. producere. — 146. cultus (om. *que*; etiam C. non habet *uultusque*, sed *uultus*. — 195. luxuria. — Idem C. Tacet de reliquis Jacobus, qui edidit *luxuriae*. Scribo: „*luxuriet quia terra parum.*“ — 219. restinxerit. — 220. finget. (stringit C.) — 225. reliquit. — 231. sub (C.) — 370. (omnes omittunt in). G. altiuumque (t alituum). — Haud scio an quid lateat aliud (altiuagumque, uel altiliumque). — 371. fluent. — 373. nitidos (t nidos) clamare (damnare). — 374. dicere (t deicere) uina. (*Uina* pro *lina*, ut supra *umbrato* pro *librato*: *deicere* omnino probo. Lina surgunt primum, tum circumfunduntur auibus. *Deicere* Manilius, ut *proicit* 4. 259. (G.), *adice* I. 666.; 4. 44, trisyllabos extulit, ut disyllabos *eicit* Lucretius, *deicit* Laberius; cf. Schneidew. Mus. Rhen. 1843. p. 637.) 426. remus — passumque notabit. — Locum coniecturis uexatissimum apponam uti Iacobus eum exhibuit:

424. *Nunc alterna ferens in lentos brachia tactus,*
explausa resonabit aqua, nunc aequore mersas
diducet palmas furtiuus remes in ipso,
nunc in aquas rectus ueniet, passumque natabit.

Ad uarietam lectionis addo *tactus* et *mersas* exhibere praeter L. V 2. etiam Gemblacensem, ita ut hoc quoque loco C. cum V. 1. conspiret. *Remus* unus G., ceteri *remis*. Cur *remes* exhibuerit Iacobus, non intelligo. — Us. seq. G. et C. *notabit; passumque*, ni fallor, etiam C. — *Passum notare*, luculentius est, si quid uideo, quam *passum* uel *passim*

natare, aptiusque ad hoc natandi genus describendum. Etiam in uersu praecedente G. lectio: „*mersas deducet palmas furtiuo remus in ipso*“ habet quo defendatur. —

451. „nec dabit illusum mores facit ora seuerae frontis ac uultus componit pondere mentes.“ Unus V. 2. *condere mentis.* Iacobus: „ea uarietas facit, ut uitia maiora subesse suspicer. Haud dubie in eo codice, unde L. et V. 2. manarunt, *seuerae* fuit.“ Unus, uti dixi, Gemblacensis exhibet *seuerae*, uti Scaliger refert; C. autem *manere.* Uitium subesse mihi quoque uidetur, neque tamen illud sub uoce *pondere* latere arbitror. Placet sibi in hac uoce Manilius: strictas pondere mentes I. 771; pectoris pondus II. 956., protulit. Uide an legendum sit:

— — facit ora seuerae
frontis et ad uultus componit pondere mentes. —

Ad sententiam cf. V. 105. „nec crede seuerae frontis opus signi, strictos *in corda* (*coda* G. V. 2.) Catones.“ — 480. nunc tanto [t tum] gestu.

Dubiae notae lectionem addo, quae est Lib. IV. 759. *potiri.* — Hoc si uerum sit, uide num iungi possit *ferocis potiri*, i. e. gloriaris. Hinc totus locus ita foret constituendus:

— — *Phrygia, Nemeaee, potiri,*
Idaeae matris famulus, regnisque (regnique L. C.) *ferocis*
Cappadocum, Armeniaeque iugis. —

In his subsisto: quibus id effectum puto, ut aliquanto iniquius de codice Iacobus iudicasse censeatur.

b. De codice Vossiano 2.

Iam uideamus eum, quem Iacobus plurimi facit, Vossianum 2., Atque eum quidem reliquis tribus libris praestare uerique uestigia saepius seruare, haud sane negauerim. Unum exemplum appono, leue id quidem sed perspicuum: Lib. V. us. 637. Jacobus lectionis uarietatem ita enotat: „*Cyrros* V. 1. L. C. *ciros* V. 2.“ — Sed addendum fuit: *cyros* G. (*gyros*). Illud nego, tanti lectiones eius faciendas esse, ut ubique aut recipiantur aut ad conicien- impellant. Quod ut planius perspiciatur, apponam locos nonnullos, in quibus a reliquis dissentit.

Lib. III. 207. „*Scorpion armata uiolenta cuspide cauda.*“ Ita omnes; nisi quod V. 2. *armati,* inde Iacobus *armat uti.* Ego quoque *Scorpion* nominatiuo casu non tolero, quamquam relictum uideo Lib. II. 213. Sed *cuspide* offendor; neque id curo, quod locis similibus, qui sane extant, satis muniri uidetur. quo enim similiores et ex solenni quasi formula repetitae fuerunt astrorum descriptiones, eo facilius corruptelae irrepserunt, adscriptis hic illic, quos memoria legenti suggerebat, aliorum poetarum locis. Suspicor fuisse olim:

Scorpion armata uiolentum conspice cauda.

ib. 272. V. 2. *aruiis* pro *amnis.* „Quod fortasse recipiendum erat. Aruis grauidus torrentibus (Nilus) rigat oras.“ J. Haec non intelligo.

ib. 635. *Hinc rerum status est* unus V. 2. c. pr. m. Lips. *rerum* coniecit etiam Scal. Ceteri: *hinc iterum situs est.* *Situm* quo defendam non habeo, licet Scaliger receperit. Sed sub uoce *iterum* aliud quid latere suspicor. Pergit enim poeta:

Hic rerum status est, Cancri cum sidere Phoebus
solstitium facit et summo uersatur Olympo.
Parte ex aduersa *brumae* (ita codd. omnes) capricornus inertem — cogit cett.

Uides *inertem* misere pendere, quare Scaliger *brumam inertem*, Bentlei. *brumae inertis* exhibuerunt. Fuit ni fallor: *hic terrae status est.* De terra agit; nam uti supra aestiui temporis messes et commercia descripsit poeta, ita in sequentibus terram hiemali tempore inertem proponit, quo scilicet desertus ager, clausum mare, condita castra. —

IV. 421. unus V. 2. *uasta.* (reliqui: *facta* Charybdis), lectione satis commoda. Sed eodem loco monemur, ne coniectandi libidine abripi nos patiamur. Integrum apponam:

416. *Est aequale nihil: terrenos aspice tractus*
et maris et partis fulgentia flumina ripis.

Ita G. et C. (sed hic habet *partes*). His uersibus pacatus terrae marisque status describitur. Num uerba recte se habeant, dubito: aptius foret „*pactis labentia flumina ripis,*“ i. e. non ruptis ripis inundantia in campos sed concesso a natura cursu fluentia; sed potest librorum lectio defendi. Inde pergit poeta ad contraria:

Crimen ubique frequens, et laudi noxia iunctast.

Et primum quidem de terra:

Sic sterilis terris laetis interuenit aruis
ac subito rumpit paruo discrimine foetus.

Ita libri omnes, nisi quod Parisinus *annus.* Laeta arua eripi nobis non patiemur, quae quidem propriam terrae laudem continent; sed quaerendum est, quaenam iuncta sit huic laudi noxia. Ac Bentleius quidem, *anno* spreto *robiginem* substituit sterilem: tu, puto, non dubitabis, quin uersus ita sit scribendus:

Sic sterilis *torres* laetis interuenit aruis.

De ea uoce uide Lachmannum (Lucr. III. 917.) In uersu 420. retineo *foetus* ob uerba *paruo discrimine.* Ut in laetis aruis, ita in mari ac fluuiis euenire solet:

420. *et modo portus erat pelagi, iam facta charybdis.*
400. *Annua solliciti consumant uota coloni?*
et quantae mercedis erunt fallacia ruris?
Quae remus lucrum naues Martemque sequemur
in praedas?

Ita G. et recte. V. 2. recedit; exhibet enim: *consumment* — *sollacia rura* (*ruris* praeter L. unus G.) — *sequuntur.* Iacob. inde recepit *consumment, solatia ruris. Fallacia ruris* structura non abhorrens a Maniliana dictione. Sed uersum sequentem liberius refinxit:

„*Quo remis lucrum naues Martemque sequuntur* cett; Tu ita distingue: *Quaeremus lucrum, naues Martemque sequemur — in praedas.* Nil moror, quod omnes libri *naues* exhibent, nam de accusatiuis tertiae in *is* terminatis ne in adiectiuis quidem certam regulam in nostris quidem libris obseruatam inuenio; hoc tantum addo, Gemblacensem ea in re plerumque cum V. 2. et prima Lips. manu conspirare.

Ad sententiam confer. V. 194: *ac per nulla sequi dubitat uestigia praedas;* similiter Noster dixit sequi fortunam uentis, sequi iter; estque ea uox oblitterata in Lib. II. us. 132. (ubi libri: *rite secunda uia est*, h. e. *sequenda).*

ib. 670. *Donec ad Aegypti ponat sua iura colonis.* V. 2. *ponet;* C. *colonos;* utrumque recepit I. Ego propter uersum sequentem scribo: „*donec ab Aegypti ponat sua iura colonis;*“ h. e. deponit; nam ab Aegypto inde Asia iura capessit.

ib. IV. 718. unus V. 2. *urbis*, tres *Romanis orbis*, G. *Romanas urbes.* — Us. 719. *genus* omnes nostri. — *Uenus* correctio est Bentleii perquam speciosa. Quamquam quem ipse aduocat Senecae locum (Hippol. 656.): „et genitor in te totus; et toruae tamen pars aliqua matris miscet ex aequo decus“ — uide an is correctionem confirmet. *Decus miscere* intelligimus; *Gradiuum miscere* non item. Gradiuum genus miscendo pater bene temperat artus, h. e. bellicus labor Romanis eundem coloris staturaeque medium dedit tenorem, quem Graecis gymnasium fortisque palaestra, colorem subfuscum, artus paullo contractiores quam pro coeli temperie expectaueris. Reuocamus igitur priscam G. lectionem:

Martia Romanas urbes pater induit ora
Gradiuumque genus miscens bene temperat artus —,

in quo *Romanas urbes* Italiam cum Scaligero intelligimus; figura Manilio frequentissima, cf. Lib. I. 46.: „qua mundus redit, et nigras super euolat urbes.“ Induendi uocem ex graecismo construere solet noster; cf. Lib. V., 515. „tropaea induta Mithridateos uultus“ et Lib. I. 516. seqq.

omnia mortali mutantur lege creata,
nec se cognoscunt terrae, uertentibus annis
exutas uariam faciem per saecula gentes“

quo in loco, interpunctione mutata, seruataque librorum lectione, uide num Bentleii proscriptione uel Iacobi correctione melius quid protulerim. Similem certe sententiam auctor profert Lib. III. 666. „ut tempora mutant, sic hos aut illos rerum flectentia casus.“ —

V. 141. De Pleiadibus dicit:

Sexta parte sui certantes lucis odore.

Unus V. 2. *luce sorores.* Puto hanc esse lectionem interpolatam, uulgatamque retinendam; modo illud meminerimus, *odore* nihil esse nisi *honore; n* enim et *d* capitales litterae sunt simillimae et aspiratio omittitur. In Prisc. perieg. us. 877. Wernsd. exhibet *Lucis honore* et recte quidem; hoc enim est in cod. Bruxell. (olim Gembl.) Nr. 10013. (uide supra); sed alius

eiusdem bibliothecae liber saeculi decimi Nr. 1472 exhibet *turis hodore.* Ita apud Nostrum confusa sunt *canendi* et *cadendi* (II. 799.), uitiumque irrepsit in uersum Libri IV. 524. ubi nocte G., docte C. pro dote habent. Sed uersum eiusdem libri 882. *rationem discere noctis* — restituto *nostis* sanandum puto, ubi *doctis* reponere aeque est in promptu.

Meliorem lectionem V. 2. praebet in his:

IV. 917. *seque ipsum inculcat et offert,*
ut bene cognosci possit, doceatque uidendis
qualis eat, cogatque suas attendere leges.

Tertio uersu repetunt *doceat* G. C. V. 1. L.; eodemque modo omnes peccant Lib. III. 629. „tunc [G.] Cererem fragili properat [G. C.] destringere culmo campus et in uarias destringunt membra palaestras [fort. *descendunt*]. Unus V. 2. rectum (*cogatque*) seruauit. Sed illud miror, quod *uidendis* Iacobus reliquit. Repono *uidentis* eodem casu quo dixisse uidetur Noster: „eripuitque Ioui fulmen, uiresque tonantis“ (Lib. I. 104). In his librarii saepissime peccant. Ita irrepserat in L. I. 767. *canendi* pro *canenti:* eademque ratione sanandi erunt hi uersus:

Lib. II. 758. Hinc uerbi structura uenit per uerba *legenti* (puero scilicet);
et V. 133. Officio magni mater Iouis. illa Tonanti
fundamenta dedit, pectusque impleuit hiantis
lacte suo, dedit et dignas ad fulmina uires.

Bentl. *nutrimenta*, Iac. *quondam alimenta dedit.* Tu retine fundamenta et scribe *tonandi*, coll. ad sententiam II. 782; III. 98.

Unus V. 2. ut iam dixi, dimidiatum uersum seruauit L. II. post us. 902.: „per tanta pericula mortis.“ Sed non suo loco ibi uenit. Coniungo eum cum uersu dimidiato 952. et eiecta uoce *mortis*, quae glossema fuit ad uocem *Ditis* (951.), locum ita constituo:

951. *Nec mirere nigri si Ditis ianua fertur*
et finem uitae retinet per tanta pericla.

Dubiae notae haec sunt:

V. 240. *Et te, Bacche, tuas nubentem iunget ad ulmos*
disponetue iugis, imitatus fronte choreas,
robore uel proprio fidentem in brachia ducet.

Ita Jac. Discrepant: *tuos* — *disponetque* G. C. L. V. 1. — *findentem* G. L. (corr. *u*) *fundentem* C. V. 1. *ducit* C. L. V. 1. 2. Nec uideo, cur ab editore dissentiam. Nisi illud, potuisse Nostrum dixisse, *tuos ad ulmos*, ut Catullus dixerit ulmos maritos, et in tertio uersu reliquisse *findens in.*

ib. 260. *Caeruleum foliis, uiridemue in gramine collem.*

V. 2. *caeruleumque*; unde Bentleius et Iacob. correxerunt: *caeruleumue oleis, uiridemue in palmite (germine) collem.* Particularum disiunctiuarum miram inuenias licentiam aut

Manilii aut librorum, quibus quidem utimur: neque adhuc res eatenus est profligata, ut certa regula potuerit statui. Sed colles aut gramine uirides aut foliis caerulei me non offendunt. Noster Lib. II. 419:

Hinc rigor et glacies niuibusque albentia rura;
hinc sitis et sudor, nudusque in collibus orbis,
aestiuosque dies aequ*ans* (Codd. *aequant*) nox frigida brumae —

quod ipsum de gramine aestiuo calore tosto intelligo. Denique ut de particularum disiunctiuarum Maniliana structura lectores iudicium facere possint, addo unum locum:

ib. 415. „*et quisquis uero fauit, culpamue perodit.*" Ita quattuor libri; V. 2. *uero fauet. Fauit* aoristice, ut *pependit* I., 201. *metuit*, II. 873.; porro ut V. 189. studium est *cepisse* ferarum diuersas facies et *sternere* monstra; ib. 284. alimenta *parare*, atque unum genus in multas *uariasse* figuras (uulgo *uariare*, codd. *uariasque*). Jacob. tamen ex indicio ita tenui correxit *ueroue fauet.*

ib. 272. „*At cum per decimam consurgens horrida partem*
spica feret praesens ualentis corpus aristas" —

ita quattuor; V. 2. *uallantis*, quod recepit Iacobus. Locus innumeris coniecturis tentatus: quibus meam addere mihi liceat:

spica feret praegnans squalenti corpus arista.

Squalere, Gellio auctore, intelligo de copia ac densitate aristarum.

ib. 546. „*hic hymenaeus erat, solaq. publica dampna* unus G.; *solaque in* quattuor. — *priuatis* unus V. 2. *primatis* L. et Uenet. — *pro natis* G. C. V. 1.

Inde Jacobus recepit: „Solari publica damna priuatis." — Nisi fallor uerba priora: „hic hymenaeus erat" cum praecedentibus iungenda sunt, ita ut, qui alibi desinere nesciat, hic quoque eandem figuram bis ponat Manilius:

— — uesano dedere ponto
Andromedan, teneros ut belua manderet artus,
hic hymenaeus erat, solataque publica dampna
pro natis (sc. erant).

His adicimus alia, eaque grauiora. Habet Voss. 2. haec:

I. 85. *penetrauit remige pontum.* — 103. *solitique acris miracula roris* (pro „soluitque animis miracula rerum"). — 111. *ad numerum mundi* (c. V. 1.) — 728. *clara compagine uersus in cuneos cogat uerti fundamina coeli.* Nempe cum G. L. V. 1. haberent *alti cogat*, C. autem *cogat alti*, V. 2. hiatum supplere uoluit. — III. 159. uersus instar hoc ceterorum librorum lemma in eo scriptum est: *Quo adapet signa desonibus aumri.* Haec interpolata esse iure nostro statuimus.

Hoc loco addere poteramus, haud raro, ubi Iacobus ueram lectionem uni V. 2. acceptam refert, Gemblacensem eandem exhibere, ueluti Lib. IV. 194 „*in summa* V. 2. ceteri

summam, corr. Scaliger," tacite scilicet ex Gemblacensi; L. III. 213. *et* omnes, *ut* unus V. 2." idem habet G.; Lib. V. 570. „*usque* omnes. (Voss. 2. mutat in I.)" Gembl. exhibet simpliciter: *Isque.* — Sed subsistendum. Apparebit opinor ex iis, quae dicta sunt, in Voss. 2. bona quidem mixta esse prauis, uti in ceteris libris, eum tamen nequaquam tanti pretii habendum esse, ut iustae recensionis fundamentum esse possit. Ceteris eum praestare, Gemblacensi auctoritate proximum, sed proximum interuallo existimo. Cum tamen, ut supra dixi, solus quaedam seruauerit, sequitur eum ex pleniore, G. et reliquos ex mutiliore archetypi apographo descriptos esse, nisi forte, quod equidem dissuadeo, in his quoque scita lacunosi archetypi sarcimina uelit quis odorari. —

§. 4. De capitulis.

Capitum indices libris ueteribus appictos cum ad alias corruptelas tollendas tum ad transpositiones indagandas insigni esse usu rectissime iudicauit Bernaysius (de emendatione Lucretii), idque ipsum praeclaro exemplo Lachmannus in Lucretio comprobauit. Quae quidem lemmata cum Iacobus praetermiserit, apponam, quotquot in G. et C. inuenire potui, adiecta, quae est in Aduersariis p. 567., Barthiana uarietate. — Lemmata a prima manu litteris maioribus minio pictis plerumque in ipso carminum ordine, raro in margine scripta, eaque a manu rec. plerumque in fronte sequentis paginae repetita esse, supra iam monui de codice Gemblacensi: addo idem de Cusano ualere. Exhibebo ea capitula ita, ut primo loco afferam, quae petita sunt ex G.; C. et B. litteris codicis Cusani uarietatem, Barthianamque ex nescio quibus libris ductam congeriem denotem.

Lib. I.

